

tutis pietatis vinculum. Hinc declarandum est odium grave in parentes, filios, avos, nepotes, affines in primo gradu (33), in paternos, in filios, in coniugem, et in fratres. — Lugo, disp. 16. n. 303. seqq., et alii communiter.

Resp. 2^o Neg. vero probabilius, si agatur de propinquitate remota, inter caeteros nempe consanguineos (34) aut affines. — Lugo, ibid. et alii contra alios qui declarandam putant circumstantiam propinquitatis etiam in quarto gradu consanguinitatis.

PUNCTUM IV. — De peccatis oblitis.

306. — Peccata ex oblivione inculpabili omnia accusari debent, si in poenitentis memoriam redeunt (35). Ex praecepto enim divino omnia peccata post baptismum commissa in confessione sacramentali declaranda sunt; nec praesens oblivio a tanta obligatione excusare etiam in posterum potest. Constat ex prop. 11^a ab *Alexandro VII.* damnata, infra n. 497. referenda.

307. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o An peccata ex oblivione aut alia iusta causa omnia, QUAMPIMUM accusanda sint?

Resp. Neg. probabilius. Huiusmodi enim obligatio moraliter accipienda est, cum praesertim haec peccata iam deleta sint, nec poinde adsit periculum animae in mora. — Ita communius. — Sporer, — Laymann, etc.

Imo iuxta plures graves Theologos poenitens differre probabiliter potest confessionem horum peccatorum, donec ex vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur. Sic ad varios menses, et etiam ad tempus annuae confessionis, differri posset. — Ita Bonacina, disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 4. n. 32. Attamen nulla alia confessio, iis omissis, interponi potest. Ratio est, quia ad integritatem confessionis pertinet declarare in actuali accusatione omnia peccata mortalia nondum accusata, quae memoriae occurrunt, seu quorum habetur conscientia, ut dicit *Trid.* sess. 14. c. 5. Porro iuxta Suarez, de Poenit. disp. 22., sect. 1. n. 1. Ea peccata sunt

(33) Virtus pietatis officium suum exercet proprie erga consanguineos, non autem erga affines. Vid. S. Thomam (2. 2. q. 101. art. 1.), et Card. De Lugo (*De Poenit.* disp. 16. nn. 303-308.), qui nullam affinium mentionem iniiciunt.

(34) In peccatis contra alios cognatos aut consanguineos magis remotos (scilicet praeter parentes et fratres) licet aggravet et augeat malitiam eiusmodi circumstantia,

non tamen affert speciem diversam in confessione necessario explicandam. Ita Lugo (*De Poenit.* disp. 16. n. 308.). Dicit autem non necessario explicandam eam circumstantiam, quia haec malitia, etsi diversae speciei, non tamen gravis censetur.

(35) Hoc intelligendum est, prout per se patet, quoad materiam confessionis necessariam, nempe quoad peccata certo gravia.

in praesenti conscientia, quae commissa post Baptismum per aliam confessionem non sunt rite clavibus subiecta (36).

QUAER. 2^o An peccata ex oblivione omnia accusari debeant ante Communionem, si prius menti occurrant?

Resp. Neg. probabilius, etiamsi poenitens absque incommodo confiteri possit. — Recole dicta in *Tract. de Euch.* n. 138.

QUAER. 3^o An poenitens qui recordatur peccati oblitum, nec potest (aut non vult) confiteri, ante Communionem ad actum contritionis elicendum teneatur?

Resp. Neg. cum S. Lig. n. 257. — Lugo, de *Euch.* disp. 14. n. 122., et cum aliis communiter contra quosdam alios. — Ratio est, quia nullum apparet fundamentum, cur ista contritio requiratur. Non enim requiritur ex praecepto, quia hoc nullibi praescriptum reperitur; neque ex necessitate probationis, quia peccatum iam per praecedentem confessionem indirecte deletum est, et proinde remissione non indiget.

308. — **QUAER.** 4^o An necessario absolvi debeat iterum poenitens accusans peccatum grave in praecedente confessione ex oblivione aut alia legitima causa omissum, et iam indirecte remissum?

Resp. Affirm. cum sententia communissima. Ratio est, quia omnia peccata mortalia ex institutione Christi sunt clavibus subicienda, ut directe remittantur. Licet enim iam remissa sint, non tamen vi Sacramenti, seu vi absolutionis remissa sunt, sed tantum vi gratiae per sacramentum infusae, et concomitanter cum aliis peccatis. — Sporer, n. 627. — *Collat. Andeg.* 3^a, q. 3^a, etc. contra paucos, qui audiendi non sunt.

Licet Confessarius omittere possit absolutionem cum poenitentibus, qui ad eundem Confessarium redire solent; siquidem isti in alia confessione directe absolventur; melius est tamen omnibus absolutionem impertiri, quando facile fieri potest, ad poenitentis solatium et animi tranquillitatem, necnon ob fructum ex Sacramento percipiendum. Adde periculum, ne poenitens eundem Confessarium amplius adire non possit.

§. II. De causis ab integritate excusantibus in genere, et speciatim quoad moribundos.

PUNCTUM I. — De causis ab integritate excusantibus in genere.

309. **Principia.** — I. Dantur causae aliquando ab integritate materiali confessionis excusantes, quia quandoque ea integritas est physice vel moraliter impossibilis.

(36) Reipsa non apparet, utrum verba Suarezii huc spectent. Nam rationem affert (ibid. n. 6.) cum S. Thoma, quod unum peccatum non potest remitti sine alio. Porro hic quaestio est de peccatis iam remissis.